

1469 juxta Eubœam subsedere: triremes hostium classem præda
Othomanica
classis præ-
ter spem in-
columnis By-
zantium
abit.
 onustam Chium usque sunt secutæ. Othomanus enim, va-
 lidissimo ad Chalcidem præsidio relicto, cum omnibus co-
 piis terrestri itinere aliquanto antea ex insula exceperat.
 Sedet Chius inter Lesbum & Samum: Ephorus eam Etha-
 liam prisco nomine appellavit: Metodorus & Cleobolus
 Chium, a Chione nympha: alii a nive ita dictam existi-
 marunt. Centum viginti quinque millium passuum circui-
 tu patet, ex adverso Erythrarum maxime sita: libera olim,
 nunc Genuensium, *Siumque* corrupto nomine appellant.
 Ubi igitur ad Mastichum promontorium ventum est, erat
 jam hostis in conspectu, tum ne si male pugnatum esset,
 adhuc magis se invidiæ obnoxium Canalis redderet, tri-
 remium præfectis ad se vocatis, rem in consultationem de-
 tulit: videretur ne e republica, ut de summa rei eo die
 cum hoste decerneretur. Hic, quum sententiæ variare cœ-
 pissent, chirographum a singulis requisivit & accepit, ut
 quæ tum cujusque sententia esset, postea sciri posset. Bre-
 vi pluribus negantibus rem publicam in apertum discrimen
 conjici oportere, sine ullo certamine classis ad Cœam re-
 ducta est. Ferunt, hostes, ubi primum circa Chium Ve-
 netæ triremes sunt conspectæ, statim fugam circumspœctare cœpisse. Certi erant ob turmarum infrequentiam nullo
 modo congregati: ita ut in expeditissimas biremes quidam
 fugiendi consilio transcendisse dicantur: alii, relictis navib-
 us, in proximum littus annatare statuisse, ubi primum Ve-
 netus movisset. Verum ubi classem inde abductam senser-
 runt, confestim ex Chio in Lesbum transmisere, ut naves
 remigio explerent; ex Lesbo inde Hellespontum versus pro-
 fecti, vehementer addubitare, ne ad Tenedum Veneta clas-
 sis esset, illicque vellent nollent cogerentur manum con-
 ferere. Ubi vero per exploratorias naves omnia pacata nun-
 ciabantur, tum Tenedum prætervecti mira alacritate &
 clamore ingenti in tutum abierunt. Ferunt, Hellesponti
 angustiis superatis, barbaræ classis præfectum ad suos lata
 fronte conversum dixisse, satis hospitaliter se a Venetis ac-
 ceptos fuisse, qui a Tenedo in Eubœam primo comitatu
 secu-